H61563
C32

B 514278

Caregiano—Doctrine Medical Homeopathic Examen.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN



Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.G 15.5
C 2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN



Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.6.15-5
C.2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Maximam actionem puto repugnare visis, obsistere opinionibus, adsensus lubricos sustinere.

Tull. Cicero.

Novum Studiorum curriculum indicenti solemne mihi semper fuit, juvenes praestantissimi, generica quaedam et potiora de re medica edisserere, ut iter longum et salebrosum tuto ingredi possetis. Quam quidem commodam nec non necessariam spartam, uti jugiter, ita et hocce meae institutionis nono anno ineunte, exornandam in antecessum curabo. Neque verbo solum, verum etiam scripto vos morer oportet in praesentiarum, cum mihi peculiari in re, eaque haud levis momenti, sententiam ferre in animo sit. Siquidem non tam de recto vobis tramite monstrando, quam de diverticulis omnibus, quae facile in transversum ducunt patefaciendis, agitur. Enimvero, infelici medicinae fato, ea ubique et quavis tempestate occurrunt, maxime hodierna, quo fit ut medici nunc plurimum in ea abeant, totaque errent via, eo procliviores, majorique eorum aberratione, quo clariores sunt qui praeeunt, docentque divertere.

Ex his ciendus notandusque nobis extat Samuel Hahnemannus, vir et sapientia et omnigena eruditione cumulatissimus, qui ad meliora natus, laureolam in mustaceo quaerere, gloriolamque sectae, precariumque imperium, veris et multis suis meritis anteponere maluit. Hujus vestigiis institerunt complures

Digitized by 262276 Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN UNIVERSITY OF MICHIGAN

nostri aevi homines, docti aeque ac indocti, vel nominis auctoritate irretiti, vel novitatum studio, vel facilitatis illicio, vel quavis alia caussa a bona medicina transfugae, hique uno ore decreverunt, medicos omnes quotquot extiterunt triginta abhinc saeculis desipuisse, hinc doctrinam medicam qua late patet deserendam, atque antiquandam, novamque uno ab Hahnemanno inventam, suisque adseclis revelatam, unicam, verissimam, in perpetuum duraturam, esse substituendam. Hanc graecarum vocularum coagmentatione, *homoeopathicam* appellaverunt, nam similia similibus se semper et ubique curaturos pollicentur, medicos caeteros caecitatis nota signatos, utpote qui contraria contrariis curare adnituntur, aut generalem morbum in localem, localemque internum in externum haud periculosum, topicis irritamentis convertere moliuntur, allopathicorum et antipathicorum sub denominatione dimiserunt. Morbos tuto, cito, et jucunde profligaturos promiserunt, missa medicamentorum farragine, guttulis solis aut odoramentis per quam raro administratis, virtutem maximam qua pollere docuerunt, a summa et quasi incredibili dilutione repetentes. Diagnosim in cognitione symptomatum singulorum, omni eorum rejecta collectione et comparatione, therapiam in successiva eorumdem curatione, singillatim instituta posuerunt, caussarum, cujusvis generis in principio considerationem spreverunt omnino, postea diuturnis tantum morbis eas assignantes, tribus solis generibus incluserunt, hoc totius doctrinae posito fundamento, nil aliud medicum noscere nisi symptomata morbi, nil remediorum, nisi phoenomena mutationum dinamicarum ab iisdem in corpore vivo effectarum, et tunc solum curare, cum medicamenta adhibeat, cujus phoenomena cum symptomatibus aegroti exacte conveniant. Ex quo facile colligitur hanc doctrinam paucis hebdo-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

madis quempiam callere posse, ac exercere, anatomiam, chemiam, physiologiam, pathologiam, nihil valere, medicam eruditionem omnem ut inutile pondus, rejiciendam, ita ut rudis quispiam tonsor aut balneator, symptomatum, remediorumque similia excitantium conscius, possit se medicum praedicare.

En doctrinae homoeopthicae summa, en arma antiquam medicinam eversura. Et ut aperte loquar, dubius haereo num ex vera Hahnemanni, summi viri, convictione omnia haec profluxerint, an potius ingenii sui lusus, vel pyrrhonicae mentis sint fructus. Nam, meo arbitrio, potius concederem ut nullo modo extet medicina, quam ut detur homoeopathica; concederem sine ulla contentione scepticis, tolerantia philosophica animatus, experientiaque eruditus, ut sceptici omnes, et quidem scepticorum proceres, dum bene valerent, medicinae opem, aegrotantes, anxie sollicitaverint. At qualiscumque causa eum impulerit ad novam creandam medicam scientiam, jure nostro ad regulas illum compellere possumus, quibus omnis humana innititur scientia, quas citra non est nisi chaos, et absurditatum, ineptiarumqne accumulatio. Quod cum nonnulli strenue fecissent, omnemque lapidem movissent, nova homoeopaticis non defuerunt sophismata, quibuscum praedilectam doctrinam defendere desudaverunt, imo victoriae affectationem ostentaverunt. Quare necessarium existimo, emensum renovare iter, eosque ni ad bonam frugem, ad silentium saltem reducere.

Et primum, si logices trutina doctrinam eam ponamus, contradictionis plenam, et inde absurditatis elemento, inveniemus. Nihil enim vulgatius, cum duo potissimum sint cognitionum nostrarum fontes, sensus nimirum, et intellectus, quam antiquae quaestiones, utro ad scientias omnes, et praesertim medicinam inveniendam, conveniat uti. » Prima dissensio, ait Cel-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

» sus, in eo est, quod alii sibi experimentorum tantummodo » notitiam necessariam esse contendunt, alii nisi corporum re- » rumque ratione comperta, non satis potentem usum esse pro- » ponunt. » Hinc empiricorum, rationaliumque ortae sunt scholae, medicinae imperium vicissim occupantes, falsae in eo, quod ex uno fonte haurire cognitiones arbitratae sunt, quae non nisi ex alterutro promanant, sed firmiter constanterque unico fonti, quem exclusive elegerant, adhaerentes. Hahnemannus autem cum se empiricum profitetur, theorices subtilioris auxilia sat frequenter invocat. Empiriae rudissimae indulget profecto hodiernus Serapio, cum nobis suadere studet, vana esse omnia conamina ad morbi notionem rationis ope evolvendam, fieri haud posse ut vel ex corporis fabrica cognita, vel ex causis exploratis, vel ex symptomatum collectione, successione, comparatione, vel aliis vulgatissimis regulis, uno verbo, ex evidentibus rebus, a morbo qui adparet, ad eum qui est reapse dignoscendum, epilogismi ope ascendamus; supervacanea item esse omnia ea quae pertinent ad medicamentorum naturam, et vires, adeoque nullam Pathologiam neque generalem, neque specialem, nullissimam Pharmacologiam extare, librosque omnes de his rebus tractantes ad incendium damnandos esse. Imo formam etiam morbi, seu symptomatum concentus, quem omnes empirici solum praxeos fundamentum habuerunt, plusquam empiricus recusat, symptomatibus singulis nullum nexum inter se habentibus, aut si habent, nunquam in nostram intelligentiam cadentem, fidens. Quod ut falsissimum, concederem opinationi suae, dummodo principii tenax, remedia quibus symptomatibus medetur, se forte fortuna dixerit invenisse, aut a juvantibus, et laedentibus, ordinaria empiricorum norma, deprompsisse, nec rationem se ullam virtutis eorum exponere pos-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

se. At logicam parvifaciens, empiriam repente deserit; alteque philosophari incipit, deque legibus naturae, processu vis vitalis, viribusque medicaminum dinamicis sermocinatur, antiquissima, omnibusque obvia pro novis ac a se inventis venditat, hisque in rebus homoeopathiae fundamentum invenit. Unde quaeso notiones has omnes derivavit Hahnemannus? Si leges naturae sunt regulae stabiles, necessariae, et perpetuae, si regulas nominamus generales informationes vinculi, quo varietas rerum ad unitatem reducitur, si vis vitalis ejusque processus, si virtus medicamentorum dinamica ad essentiam corporum iisdem praeditorum pertinent, quomodo sodes empiria nudis sterilibusque contenta observationibus, rationisque respuens ministerium, notiones has mere rationales enodare potuit? At si Hahnemannus empiricum se professus enodavit, empiriae, cui nomen dederat, denegat fidem, aut empiriam et theoriam, res e regione oppositas jungere conatur, et in absurdum se praecipitat. Si me imparem esse arbitratur status morbosi interni cognitioni, inductionis ope, assequendae, si duorum, aut trium simptomatum cognationem, aut communem originem me divinare posse negat, propterea quod nequeo *oculis* corpus aegrotantis introspicere, edocere me debet quomodo *oculis* dinamicam principii vitalis naturam, ejus processus rationes, e quibus homoeopathica aeterna, ut ait, lex fluit, quomodo medicamentorum dinamicam virtutem inspicere potero. Nec possum quin indigner cum posteaquam demonstrandum suscepit, fieri non posse ut internae latentes mutationes organismi viventis, statum morbosum constituentes noscantur, quippe quod haec mentis speculatio in vanas conjecturas, et commenta abit, laxatis habenis, speculationi indulget, seriemque propositionum inter se artificiosissime connexarum proponit, ut de sedibus morborum loquatur, ac de

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

coincidentia actionis homoeopathici medicamenti cum sede morbi, de morbis naturalibus, ac artificialibus eadem organa occupantibus, de aequipollentia sive praepollentia morborum naturalium, ac arte productorum, de conditionibus morbi artificialis, ut naturalem profligare possit, de ratione homoeopaticae curationis, e legibus vitae deprompta, demum de praestantia homoeopaticae methodi prae allopathica, antipathicaque. Nonne et hic contradictio, hincque absurditas, luce meridiana clarius apparet? Quid quod libros omnes medicos, non homoeopaticos asperrime insectari, tanquam inutile pondus terrae habere, librosque ipsos continuo, ac sedulo percontari, ut omnia ea excerpat, quae, adhibitis conclusiunculis, suis favere autumat opinationibus? Si impossibile idem simul esse et non esse, nemo mentis suae compos inficiabitur, facile erit colligere hanc homoepathicam doctrinam, principio contradictionis abunde notatam, inter absurditates esse relegandam.

Sed mittamus haec, ad graviora properaturi. Et primum profitemur et nos opportune homoepathicos esse, medicosque omnes fuisse, nam homoepathicam methodum inter regulas curationum locum aliquando habere, novum non est, nullum morbum esse, in quo non obtinet, novum est. Taceam exempla ab Hippocrate ad nostram usque aetatem observata, lippis, et tonsoribus nota, quae ad satietatem usque et ultra repetita, inutilis vanaeque eruditionis essent testimonium. Adjungam solum eruditissimum Hahnemannum omnia ea curiosissime collegisse, ita ut si quis noscere cupiat, quotquot sunt, nulloque excepto, in ipsius *Organi* introitu fideliter enumerata, imo amplificata inveniat. Verum enimvero si inter regulas curationum unam concedamus homoeopathicam, unicam hanc regulam esse fas non erit inferre. Sunt profecto casus morbosi, aut tem-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

pora potius morborum, et circumstantiae, quae similiâ remedia requirunt ut consanescant, tamen nullo in morbo a principio ad finem usque, medendi rationem ab his remediis repetere licet. Vomitum vomitu curamus non omnem, sed qui a saburris originem ducit, nec in omnibus subjectis, nec omni tempore morbi. Vesicantia partibus inflammatis utiliter superimponi nobis suadet experientia, sed non omnes inflammationes huiuscemodi auxilium admittunt, et in quibus locum habet, tum demum ad id prudenter confugimus, cum venaesectionibus, aliisque praesidiis, (remedia non homoëpathica) maximum earum impetum fregimus, et cum, stadio quasi peragrato, resolutionem accelerare molimur. Agyrta sine dubio est non medicus, qui inflammationem adoritur vesicatorio. Tincturam opii in ophtalmiis adhibemus, magno non sine fructu, sed quis est, qui laudano inchoare curationem audebit? Et hic opium non remedium totius morbi est, sed circumstantiae, ut ita dicam, morbosae, versus finem morbi remediis contrariis penitus profligati, accidentis. Blennorrhoeas virulentas ultimo stadio injectionibus stimulantibns sistimus quae primo, et secundo iisdem auxiliis mirum in modum irritantur, et in pejus ruunt. Histericarum distensiones nervorum, spiritu sulphurico aethereo, tetris odoramentis, aliisque incitantibus halituosis aggredimur, generatimque juvamus; at non in distensionum momentanea cessatione supersedemus, sed caussas earum investigantes, auferimus, vis nervosae inaequabili distributioni consulimus, itinera, victus rationem, amica consortia, vivi cujusdam desiderii expletionem, pathematis amotionem, remedia alia cujusvis generis, quin homoepathica, imperamus, et tunc radicitus sanamus, quod ni fecerimus, nervorum abnormes incitationes, incitantibus ad tempus dumtaxat refraenatae, brevi post et fortius, et frequentius

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

recurrent.[4] Mala enim hallucinatio illorum est, qui in eam abeunt sententiam, ex multis remediis aegrotanti administratis, ultimum tantum ad salutem perduxisse, pessima eorum, qui remedia directe, et immediate sanationem adducere existimant. Morbus processus vitalium abnormium actionum est, principium, incrementum, et decrementum habens, hinc tempora varia metitur, et per stadia decurrit, in quovis singulo et intentionis, et extensionis, et vigoris, et indolis vicissitudines patitur. Sic vita a finibus naturae deflexa, et in morbi imperium reducta, ut ad bonam revertatur frugem, parabolam illam necessario percurrere debet. Et in singula morbi specie vicissitudines ad stadium singulum spectantes, peculiarem inter se, et stadia alia rationem habent, ita ut expertus medicus, primo morbi stadio probe observato, specieque cognita, accidentia morbosa futura (exceptis contingentibus) divinare possit. Hinc rerum gerendarum conscius, curationis consilium generale statuit, quocum et phasibus praesentibus providet, et viam sibi munit ad futuris obsistendum. Legum vitae normalis et non normalis gnarus, earumque non dominator, sed moderator, eas a diverticulo in viam reducere nequit, nisi luxuriantes compescendo, depressas excitando, perversas in bonam directionem ciendo. Nunc dum incitat depressas, impetum ab organo quodam centrali avellere consilii est; nunc dum compescit luxuriantes, alia simul patrare complicatio, aut compositio suadet morbosa. Mox vires corporis sistemata inaequaliter animantes, mutuamque actionum, et functionum conspirationem confundentes, ad normam revocandae erunt, difficile et spinis plenum negotium. Novissime et vis vitalis momenta moderanda sunt, et nunc energiae, nunc receptivitatis aberrationes corrigendae, et in aequilibrium reducendae, omnia deni-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

que, ut uno verbo me expediam, facienda, quae naturae suppetias ferunt, ut crisim moliatur, morbumque in sanitatem reducat. Ita ut non simplex munus medici, et unica semper operatione circumscriptum, sed saepe ex satis composita indicatione imperatum, compositum, variisque molitionibus inter se aptatis, evadat. Haec omnia efficit medicamentis, quae non morbis opitulantur immediate, et eodem modo quo aqua ignem extinguit, sed chemico-dynamica utplurimum virtute praedita, mutationem, stimulando, in processum vitalem morbosum inducunt, ex qua series aliarum mutationum per partes, et organa consentientia late diffusa promanat, ultimum effectum, saepe visibilem, productura, morbi sanationem aut praecedens, aut comitans. Atqui medicus curationem moliens tot discrimina rerum adire debet, tot negotia gerere, tot obstacula vitare, atqui salus non ab uno aut ultimo procedit remedio, sed ab omnibus scienter ad finem ordinatis, et in toto morbi decursu porrectis, ita ut quodque symbolam suam conferat curationi; si medicamenta non immediate, sed post suscitatas in corpore vivo mutationes, excitatasque reactiones salutem afferunt, non mirum, inter tot consilia curativa talia aliquando locum habere, quae statum morbosum jam ad finem vergentem, remediisque aliis sedulo et opportune adhibitis, fractum, celeriuscule dissipare satagant homoeopathicis adminiculis, sive ad culmen vires residuas morbi exaltando, ultra quod, ex legibus vi corporis, non est nisi declinatio et finis. Accedit quod inter simptomata plura sunt, quae activa dicuntur, sive perturbationes criticae, quae faciem morbi prae se ferunt, sed revera naturae contra morbum totis viribus reagentis, ejusque solutionem praeparantis sunt nisus. Haec conamina a medico coadjuvanda sunt pro virili, sed si hoc praestans se homoeo-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

pathice agere judicabit, fucum maximopere sibi faciet. Etenim phoenomena activa ad vitam spectant, non ad morbum; si illa medicamentis intendit, vitae auxiliatur, non morbum similem producit. Rebus autem ita se habentibus, a singulari ad generalem, imo universalem, posthabita logica, ducit consequentiam, qui *aeternam* homoepathicam legem praedicat, eamque ponit ut firmissimum, et unicum therapeutices fundamentum.

Sed audiamus Hahnemannum impossibilitatem status morbosi interni cognoscendi urgentem. Quid sit morbus, ait, aut quaenam occultae mutationes ab ipso in organismi penetralibus productae, semper mortalem oculum fugiet. Si quis se existimat novisse, animo fallitur. Morborum nihil aliud ad nostram intelligentiam pertinet, nisi externae manifestationes, apparitionesque, symptomata nimirum. Quod si nexus causam inter ignotam, statum scilicet morbosum sive passionem, et effectum observatum, symptomatum symdrome esse debet, nil refert causae efficientis occulta indoles, dummodo effectus tollere symptomatibusque mederi potis simus, nam si effectus delentur, causa eodem tempore necessario destruitur. Hoc praestat homoepathia, quae puris medicamentorum viribus exploratis, eas morbo pari producendo aequas invenit, hinc ad sanandum unico qui fieri potest modo, homoepatico, aptas. Pugna igitur exardet inter morbum naturalem, et artefactum, in qua hic semper evadit triumphator. Nam si duo morbi similes in eodem corpore, aut organo coexistere nequeunt, si naturalis praeexistebat artefacto, si hic illum vigore semper antecellit, necessarium est artefactum naturalem supplantare morbum. At artificialis ab actione homoeopatici medicamenti excitatus, pergit usque ad actionis ejusdem complementum, et cessat, hac ad finem perducta. Et en hominem a morbo utroque liberatum tuto, cito,

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

et jucunde, naturali ab artefacto protruso, hocque interitus sui in se rationem continente, in nihilum reducto.

Mihi autem omnia haec jocose magis quam vere dicta fuisse videntur. Quis enim audebit ingenuus homo, medicinam his auspiciis inire, remque gravissimam, vitam hominum, his nugis tutari se posse putabit? Statum morbosum nos semper ignorare, morbi naturam nunquam conjectura assequi, falsum esse, quotidiana monstrat experientia. Sunt nobis oculi, aliique sensus, ut symptomata percipiamus, caussas noscamus, caeterasque evidentes res colligamus, ratiocinium nostrum adjuturas. Est ratio, est mens, est usus, sunt regulae, quibuscum a manifestis rebus, phoenomenis, et caussis proficiscentes, transimus, rectae inductionis ope, ad latentes res, seu adyta naturae. Et ut cum Sprengelio, viro et doctrina, et eloquentiâ, et ingenio, et amplissima eruditione praeclarissimo, loquar » ascendimus » a singularibus observationibus ad generalia praecepta, com» paramus observata in hoc morbo cum observatis in alio, » communia jungimus, peculiaria abstrahimus, observata ad » leges physiologicas adaptamus, et pathologicas, ut de nexu » eo symptomatum rite judicare possimus. » Is nexus est status morbosi a quo omnia fluunt symptomata, tanquam a communi fonte, informatio; est id quod invenire omnino desperat Hahnemannus. Attamen invenimus quotidie, quidquid oblatrent homoeopathici, nam morbos specie similes, natura autem diversos, necessaria adhibita sedulitate, distinguere valemus. Periodicae febres perniciosiores (subintrantes, subcontinuae), saepe larvam continuarum induunt, incautisque, cum ingenti aegrotantis discrimine, imponunt. At solers medicus, alienam personam eas gerere detegit, easque aggreditur, et sanat cortice peruviano, remedio in continentibus aut ancipiti, aut plane

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

noxio. Apoplexias a congestione, venaesectionibus, temperantibus, derivantibusque curamus remediis, nervosas contra incitantibus diffusivis fortioribus, vesicatoriis, aliisque erigentibus, in simpaticis morbo principali, a quo pendent, consulimus. Cachexias eamdem formam habentes, differentibus praesidiis pertractamus, prout a scrophulis, a syphilide, ab herpete originem ducunt. Hydropem energicum nitro, liquore kali acetici, temperantibus diureticis aliis, opportunaque dieta persanamus, torpido scillam, digitalem purpuream, drastica hydragoga, quid quod cantharides ipsumque elaterium opponimus, in eo qui e stasibus abdominalibus, visceribusque obstructis pendet, talia imperamus remedia, quae vias circulationi imi ventris reserare valent. Asthma Millari, anginae membranaceae tot titulis adsimilis adfectus, sive symptomata respirationis impeditae spectes, sive promiscuam epidemiae dominationem, sive infantilem aetatem ambobus familiarem, sive alia plura phoenomena affinia, distinguimus tamen, anginae naturam inflammatoriam, asthmatis spasmodicam perspicimus, singulam remediis naturae affectionis respondentibus cum emolumento curamus. Et nimis in longum traherem funem, si vel leviter attingere vellem innumera morborum exempla, specie similium, indole diversorum, et quos, diagnosis ope, probe discernimus. Ast discernere possemus, si in solis symptomatibus consistere deberemus, aditusque interclusi essent ad statum morbosum indagandum, ad indolem, sedemque morbi detegendam? Cum febre ardenti aegrotum alterum laborare judicium fero, typhode alterum, illum sanguinis missionibus, et refrigerantibus, hunc aethere, moscho, camphora, antimonialibus, hydrargiro muriatico miti pertracto, et alterutrum ad sanitatem perduco, certus ero me naturam duorum morborum percepisse, remediisque congruen-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

ter differentibus curavisse. Si hepatitidem adesse pronuncio, aut pneumoniam lentam, et tractu temporis abscessus hepaticus, aut vomica in conspectum veniunt, quis me a sententia removebit, recte de sede, et indole morbi judicasse? Omnia haec sensit homoepathiae author, statorque Hahnemannus, et objectionibus obviam ire conatus est; nam si quas, ait, curationes medici *vulgares* obtinuerunt, debitores sunt aut homoepathicis medicamentis, quae ut contraria administraverant, aut casu quodam fortuito. Vana effugia! Est enim vis cavillationis, est tortuosum disputandi genus, quibus innixus poterit venaesectiones in inflammationibus, moschum et camphoram in typho, corticem in intermittentibus febribus homoeopathica medicamenta esse probare? Quoad casus fortuitos, neminem adhuc ignorare decet, inania haec nomina in sapientis vocabulario locum non habere, inscitiae, et ignaviae velamina esse, nam nil fortuito factum est aut fit, omnia caussam agnoscunt, et in catena universalis ordinis sapientissimo consilio statuta, sunt, credoque Kantio existimanti, exceptiones quas dicimus a regulis, casusque fortuitos, nullos esse, et potius limites finitae intelligentiae nostrae metiri. Insuper, si quae fortuito accidere possent, non semper, non saepe, et ex expectatione, sed rarissime, una, aut alia tantum vice, citraque expectationem eveniunt. Nostras autem diagnoses, et curationes quotidie exitus probat.

Sed redeamus ad symptomata, columnas herculis medicae investigationis, sicut placet Hahnemanno. Et meam adjuro fidem, me illico ad agros colendos proficisci, venandum, pyros inserendas, vites ordine ponendas, omnino medicinae studio relicto, si huic sententiae, minima pro parte, adstipulari aequum judicassem. Quae enim major vilitas opificii, illa, quae omni

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

ratiocinio rejecto, limitibus arctissimis doctrinae assignatis, hominem et rerum cognoscendarum principia, et gerendarum rationes ignorantem, lucrique vilissimi stipendia merentem, inter mercenarios ablegat? Symptomatum dignitatem, omnes cujusvis temporis medici noverunt, et una voce praedicaverunt. Noscere enim haud possumus morbum, nisi qui adparet, apparere autem nequit nisi mutationibus, sensibus percipiendis, in corporis functionibus, in harum productis, in organis provocatis. Hae mutationes symptomata audiunt. Quamobrem prima existentiae morbi notio a symptomatibus repetitur, nec aeger se male habere, nec medicus illum aegrotare aliunde, nisi ab illorum perceptione deducere possunt. Medicus autem qui existentiam morbi scit, nihil scit, sed qualis sit morbus, a quo pendeat, et quomodo abigatur, interest nosse. Quae, si symptomatibus solis, vel pathognomonicis, constiterit, semper ignorabit, nam quamvis viam symptomata muniunt ad naturam, sedemque morbi inveniendam, haec est fallax, tortuosa, atque sine ratiocinii, regularumque filo, inetricabilis labyrinthus. Omnes unanimiter monuerunt medici, non sufficere nudam symptomatum notitiam, sed illorum scientiam possidere, id est per caussas scire, et per caussas efficientes seu sufficientes, necessarium esse. Hae caussae, quas uno verbo cum Tullio efficientiarum nomine nuncupare possumus, ad fontem ex quo omnia symptomata scaturiunt pertinent, ad statum scilicet morbosum, idem sunt, ac status morbosus. Symptomatum igitur dignitatem concedimus lubenter, dummodo nexum cum morbo interno, a quo emergunt, compertum habeamus. Ecquis eo inflatus errore est, ut non perspiciat, symptomata singula, aut nudam syndromem, infidos esse duces, cum ex morbis diversis, imo oppositis eadem saepe symptomata procedant? Si ad

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

solum vulgatissimum capitis dolorem animum advertatis, eum ex variis morbis multifariam oriri posse, comperietis. Nam nunc ex congestione, aut vera inflammatione, nunc ex stomachi affectione, mox e rheumate, a spasmis, ab hemorroidibus, a frigore, ab ossium capitis lesione, a vitiis organicis, innumeribusque ab aliis *caussis efficientibus*, originem ducit. Quid refert capitis dolorem perspectum habere, si ad fontem illius varium ascendere, indolemque ejus explorare non possum? Ast si non exploratam habeo indolem fontis, exsiccare non queam, artificia enim, ut quisquis facile intelligit, sunt varia adhibenda, pro varia illius natura, adeo ut si in symptomate constitero, aut me nihil agere, quia nesciam scienter agere, aut agyrtarum ad instar, talia quaedam remedia fortunae, committere, oporteat. Et denuo hoc respectu Hahnemannum versutiae arguere possumus, nam has objectiones evitandi gratia, consulto caussarum comprehensionem impossibilem esse statuit, praesertim internarum, quae symptomata efficiunt, quas proximas veteres nuncupaverunt, et quas recentiores *status morbosos* denominare maluerunt. Sed quamvis neget, ut solet, ex tripode judicans (nam non officii sui esse probare quae dicit ut plurimum putat) nobis causam proximam morbi unquam innotescere, caussae illae symptomatum matres, nostrarum indaginum vera materies sunt, nobisque innotescunt, ut in superioribus probavimus, cum sedulo, et opportune examen instituimus, et verissimum est Celsi effatum: » eum recte curatu» rum, quem prima origo caussae non fefellerit. » Nihilotamen de tanta gloriantur caecitate homoepathici, ut non haesitent artificis dignitatem, decorumque ablegare, et personam deridendam induere. Vidimus quondam, et propter artis vilipendium illacrymavimus homoepothicum medicum, qui puellae plures

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

incassum atomos, sive vires morbiferas artificiales propinaverat, ut capitis dolorem a quo detinebatur profligaret, tandem nil aliud agere (homoepathice) nesciens, librum, centurias curationum homoepathicarum, ad capitis dolorem spectantes, continentem, patri dedit, suasitque a prima ad ultimam, filiae, clara lectione recitare, et huic animum intendere jussit, si quid forte in illis commentariis, suis molestiis simile inveniret, promisitque, si quae invenerit, confestim remedio eodem sanaturam. Irrisere adstantes merito artificem, artemque toties artificis facto immerito contemtam.

Audiamus autem quid sibi homoeopathici velint, nomine *potentiarum morbiferarum*, aut virtutis purae medicamentorum. Potentiam morbiferam, remedium omne appellant quod non potest salutem afferre, nisi morbo simili producto. *Virtus pura* medicaminum ab effectibus in corpore sano productis tantum desumitur, nam nec qui in aegrotante producuntur, nec eorum mixtio explorata, nec alia qualitas, lucem nobis suppeditare valent, ad eorum vim contra morbos eruendam. Verum si sciscitabimur, quare nec chemico-dinamica remediorum natura, nec illorum actio in morbis cognitae, potentiam medicatricem qua pollent nobis revelare nequeunt, respondebunt, quia virtus medicamentosa latet, quia oculus eam non videt, quomodocumque chemiae adminiculis periclitetur, quia virtus pura in solo sanitatis praedito corpore elicitur, adeo ut quae probanda erant in argumentum ducant, et idem per idem respondeant. Si quaeramus cur tantum potentia morbifera (remedium) morbo simili excitando ideonea, morbum sanat, quia morbi non possunt nisi homoepatice sanari replicabunt, et in circulum denuo incident. Et hoc stricte est ratiocinandi genus, quo utuntur, nam quae garriunt circa inutilitatem aut nocivam indolem allopathicorum,

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

antipathicorumque remediorum, ut homoepathicis praestantiam vindicent, non sunt nisi merae assertiones, locutionesque neutiquam probandae, imo experientia quotidiana refutatae, sensuque a communi rejectae. Itaque in toto hoc antilogico quaestionis genere, si quid disceptatione dignum est, hoc in effectibus in sano corpore a remediis excitatis consistit. Quem modum experiendi saepe a medicis tentatum, nec ab homoepathicis excogitatum, cum nunquam scientiae profuisset, imo ad erroneas conclusiones traxisset, medicinae cultores deseruerunt. Quis ignorat quotquot inclaruerunt his periculis medicos, quis, ut alios taceam, Angli Alexandri heroica experimenta, in seipso instituta, honoris causa non rimatus est? Medicamenta aliter agere in corpore sano, aliter in aegrotante, nemo est qui primo intuitu non videat. Nam praeter alias differentias, vita sana a morbosa differt et eo, quod eadem res vario modo nos afficit, prout bona, aut adversa fruimur valetudine. Aer certe frigidiusculus, moderata exercitatio, aquae frigidae, aut modicus vini potus, cibus assumptus, colloquia, et quae sunt alia, nos dum bene valemus recreant, dum aegrotamus morbum utplurimum adaugent, molestias, et discrimina multiplicant. Medicamenta contra fortiora, et magna dosi propinamus utiliter in morbis, quae in sanos multo minori quantitate noxas immanes inferrent. Tantum sanguinis mittere in homine sano nobis non licet impune, quantum debemus peripneumonia laboranti detrahere, ut persanemus. Tantum opii a sano non tolerabitur, quantum in aliqua tetani specie utiliter propinamus. Mercurius large syphiliticis administratus, sine molestiis fertur, et sanat. Sine indicatione datus, ptialismum, aliaque quamplura incommoda, et damna provocat. Vita a norma deflexa, omnes ejus actiones, et functiones confunduntur, omnia a sanitatis regula abludunt, aliter recipit

*

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

res externas, aliter contra eas reagit, ita ut commercium vitae cum externa natura aliud atque aliud evadat. Ex quo consequitur effectus a substantia quavis productos in sano corporo agente, cum iis, quos eadem substantia in aegrotante excitat, comparari non posse, viamque non tutam nobis munire, dum medicamentorum vires dijudicare volumus. Ubi nullus ordo, ubi confusio omnium vitalium actionum viget, in morbo, medicamentum vi qua pollet chemico-dynamica vires vitales ad congruas reactiones ciendo, turbas sedat, discordias componit, omniaque ad pristinum concentum revocando, typum sanitatis reducit. Ubi sanitas adest, ubi omnia ordinem servant, finibusque congruenter agunt, remedium, pacis insidiator, potentiae nocentis vices vere gerens, phoenomena abnormia provocabit, sanitatem turbatura.

Medicamentum latissimo sensu omne id nominamus, quod sanitati recuperandae idoneum est. Hoc respectu omnia qua late patent naturalia agentia, aer, calor, lux, clima, electricae rationes, venti, corporis motus, animi vicissitudines, sensuum actiones, voluntatis imperium, cibi, et potus, somnus, et vigilia, et alia quamplura in censum veniunt. Alia autem est, stricto sensu, medicamenti informatio, juxta quam sic nominamus ea tantummodo artis praesidia, quae chemico-dynamico modo corpus adficientia, morbum in sanitatem convertunt. Quomodocumque medicamenti notionem accipiamus, certi sumus, primariam eorum actionem, in virium vitalium mutatione consistere, a qua salubres nisus ad morbum excutiendum nascuntur. Sunt igitur substantiae mere stimulantes, a vita plastica haud subigendae, nec in organicam substantiam convertendae, vitam tantum ad reactionem provocantes. Haec primaria medicamenti actio, differt ab ultimo effectu, multaeque intermediae operationes inter

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

duas has extremas existunt. Sciebamus haec jamdiu, nec Hahnemanno egebamus has tritas veritates nobis pro oraculis fundente. Sic cum emeticum dat medicus, vomitum non quasi effectum primarium, et unicum considerat, sed eum habet ut unum inter ultimos effectus; nec praetervidet hujusce remedii ingratum stimulum in stomachi nervos, per reliquos sympathici magni abdominales plexus irradiatum, et ad centrum usque epigastricum perductum; nec mutationem quam ex hac systematis nervosi subordinati affectione, superius, consensus ope, experitur; nec illam, quae in sanguinis circuitum refluit, propter commercium vitale inter nervos et vasa existens; nec secretionem ex his mutationibus facile consequentem, in ipsa stomachi membrana mucosa, et in homogenea, ac consentiente cute externa; non fortes tunicae ventriculi muscularis contractiones, inversam directionem eligentes; diafragmatis, musculorumque abdominalium sympathicas agitationes, hinc conatus, quae ventriculus continebat ejicientes, corpus totum commoventes, plexuum abdominalium inaequabilem actionem emendantes, hinc spasmos resolventes, venae portarum circulum accelerantes, hinc stases dissipantes, diaphoresin denique, expectorationem determinantes, viriumque incitatarum remissionem generantes. Si sanguinem incisa vena mittere in inflammatione jubet, non sibi persuasum habebit primitus et directe morbum se venaesectione sanaturum, sed hoc compertum habebit, sanguinis diminutione stimulum principale internum *minui*, hinc vitae vegetativae maximam exaltationem compesci, vasorum luxuriantem tensionem moderari, secretionum vias aperiri, per quas natura inflammationis resolutionum jugiter perficit, non quod materia peccans secretionibus expellatur, sed quia juxta leges vitae, secretionum augmentum, virium incitatarum remissionem se-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

quitur. Si sudorem promovere, diaphoretico, cupit, hic non cuneo illum protrudere autumabit, sed mentem advertet ad seriem mutationum sudoris initium praecedentem, quae a remedii primo impulsu ortum ducit, et in cutis relaxatione, in sanguinis eam versus majore impetu, in ejusdem vasorum capillarium concitata activitate consistentem. Ex dictis facile colligitur omnia haec medicamenta patrare, dum aegris administrantur; nam in aegritudine tantum actiones vitales corrigendae sunt, quod praestant series mutationum quas in vires vitales inducunt. At si sanis medicamenta damus, series mutationum in vires vitales inducemus, sed cum nihil corrigendum in sanitate sit, mutationes ordinem alium atque alium servabunt, morbum, si energice operaverint, provocabunt, ex quo nil aliud discemus, nisi quod inter nocivas potentias in aetiologia consignandas, remedia bene valentibus data locum habere. Igitur vitae sanae, et morbosae cognitae leges, experientia continua, modus agendi medicamentorum, manifeste probant, non perinde esse remedia in corpore sano, ac aegretante experiri, nec quos generant effectus in homine bene valente, lucem ullam praebere, ut ei dum adversa valetudine laborat, opem feramus.

Si autem nobis regesserit Hahnemannus se nominatim in ea esse sententia ut credat, remedia sanis hominibus porrecta, causae nocentis vices gerere, morbumque generare artificialem, compertum vere habere, his tantum artificialibus, morbos similes naturales persanari posse, praecipitem doctrinam suam mittet. Nam quaeramus I. quid sibi velit morbi artificialis denominatione? Cur a naturali eum discriminat? Si morbum remedium homini bene valenti infert, is morbus est, an non? Si est, naturalis est, qualis omnis alius morbus, remedium enim consulto datum, ejusdem caussa fuit, ut vulnus,

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

ut venenum, ut terror incussus, morbos etiam progenerant. Cur, quaeso, hos morbos artificiales nominaremus? Si artificiose eorum caussae egerunt, artificium non in caussis, sed in animo, aut medici experimentatoris, aut malefici hominis constitit, caussae sunt inanimatae res, juxta indolem, seu naturam propriam agentes, naturales, naturalissimos effectus producentes. Morbi igitur naturales a remediis, sanis hominibus datis producuntur, et perinde est morbum a medicamento natum esse, ac a frigore, si morbus est, semper naturalis est.

II. Quanam ratione morbus a medicamento provocatus, naturali in eodem corpore, aut organo praeexistenti, fortior est? Quae potentiora medicamenta hoc praestare poterunt? An venena? Quis credet morbum tot potentiis nocentibus generatum, puta febrem ab epidemico influxu, hoc est a caussis cosmicis ortam, superari, mirum dictu! a morbo quem decoctio, pillula, aut pulvis medicinalis procreant? At si receptivitatem auctam in morbis invocabit, ut a stimulis minoris efficaciae, majores effectus manare posse contendat, iterum quaeramus, cur receptivitas aucta sit? Receptivitatis augmentum pars est mutationum, quas morbus in vires vitales induxit, ad morbum pertinet, est pars morbi, aut morbi effectus, adeo ut si minima est, praegrandis morbus a quo dependet debeat esse. Itaque si remediorum impulsus fortius agunt, tantum abest ut morbum sic dictum artificialem naturali fortiorem producant, ut potius vivida illorum actio ab effectibus, a conditionibus morbi ipsius praeexistentis proveniat. Accedit quod non semper in morbis receptivitas acuitur, cum multi sint, in quibus torpeat, et in his quomodo vires morbiferae artificiales, seu medicamenta *morbum artefactum*, naturali vehementiorem suscitabunt? Quod si ita se res habent, corruit perpetua praevalentia vigoris mor-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

bi artificialis in naturalem. III. Si morbum praeexistenti similem, a remedio produci, praesertim si novum, antiquo vehementiorem esse concedamus, is characteribus omnibus morbi notetur, varia stadia percurrat, durationem determinatam habeat, molestias, et pericula inferat, opus est. Nunc quid lucri aegroto erit, a morbo altero in alterum transire, similibus molestiis affici, iisdem periculis obviam ire? Erit forsan is modus tuto, cito, et jucunde sanandi? IV. Si commercium vitae cum natura externa aliud est in sanitate, aliud in morbo, si morbus mutat facultatem recipiendi, et reagendi, si eadem res aliter nos afficit in secunda, aliter in adversa valetudine, quomodo remedium, morbum eumdem gignere in aegroto, quem in sanum hominem induxit, potis erit? V. Potest ne ingenue affirmari, remedia sanis administrata, morbos provocare cognitis aegritudinis speciebus perfecte analogos, ita ut similitudo horum omnibus numeris absoluta sit, et possint homoepatici vocitari? Si sola symptomata medicis Hahnemannus relinquit, ut morbos noscant, omnibus aliis rebus missis, et inter incomprehensibilia relegatis, nos eum ratiocinio critico prosequimur, usque dum in forma saltem morbi constiterit, symptomatum universitatem observaverit, imaginem integram morbi delineaverit, juxta speciem, constantem, juxta tempora, prodromorum, initii, acmes, decrementi, mutabilem, uno verbo tabulam morbi pictam, aut ejusdem biographiam exhibuerit. Si vero singula symptomata seorsim spectata, fundamenta curationum habuerit, opinionem suam, ut refutatione indignam, linquemus, et ab omni contentione supersedebimus. Interim si exempla artificialium morborum (remediorum homoepaticorum) ab ipso Hahnemanno ex omni hominum memoria excerpta, et *in Organi* vestibulo collocata perlustrabimus, facile videbimus nil nisi convenientiam *alicujus*

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

symptomatis morbi praeexistentis, cum phoenomenis a' remedio suscitatis, inveniri. At ne multis vos morer, ad pauca tantum ex iis exemplis animum advertite. Belladonna, inquit, scarlatinam sanat, anginam, quid quod hydrophobiam a morsu rabidi canis productam, sanat. Homoepathice sanat, nam maculas rubras in cute, ardorem, tumorem faucium, difficultamque deglutiendi, sitim, et potus aversationem saepe progignit. Sulphure scabiem adimimus, et idem sulphur pruriginosas eruptiones, scabiei aemulas cuti frequenter importat, itaque est remedium homoepathicum. Verum quis auctor fuit scarlatinam in siccitate faucium, et ardore, maculisque rubris in fronte, cynanchen in faucium tumore, et difficultate vorandi, hygrophobiam in siti, et horrore liquidorum, scabiem in eruptione pruriginosa tantum consistere? Omnes hae aegritudines quamvis illa symptomata inter constituentia possideant, permultis aliis stipatae sunt, sine quibus existentiam, nec nomen tribuere possumus. Sitis, pharingisque constrictio belladonnae usum excipiunt, aeque ac pupillae dilatatio, et narcosis, scarlatinae, et anginae non familiares. Febris contra nunquam locum habet, in scarlatina vero, et cynanche, est essentialissima res, omnia alia symptomata duorum morborum inter effectus belladonnae desiderantur. Ubinam, amabo, similitudinem formae totius harum aegritudinum, et phoenomenorum belladonnae inveniemus? Maculas rubras in cutem, praesertim frontis, narcotica plura inducere quis est qui ignorat? Quid ergo habent commune cum scarlatinae exanthematibus? Si aliquando potus horror, aliis belladonnae effectibus socium se junxerit, quis concludere poterit hygrophobiam artificialem, naturali a morsu canis rabidi ortae similem, belladonnam creasse? Si sulphur scabiei antidotum, eruptiones cutaneas saepe numero provocat, quis autumabit ho-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

minem stilphuris actione scabie artefacta contaminari, dum omnia alia scabiei symptomata absunt? Itaque similitudo, si quae aliquando invenitur, inter effectus visibiles morbi, et remediorum, haec in analogia *alicujus tantum symptomatis* cum aliquo remedii phoenomeno consistit. Sed morbus, quoad formam, non in uno aut altero symptomate, verum in tota syndrome stat, ergo si quae aliquando phoenomena analoga remedia proferunt, erroneum est ea morborum artificialium denominatione insignire.

Corruere his obviis argumentis homoeopathiae fundamentum, nemo est qui non videt. Si quis autem cupit aperte noscere quantum praeconcepta opinio homines obcaecare valeat, audiat Hahnemannum, summum virum, aliud exemplum homoepathicae curationis adducentem. Vaccinarum variolarum, inquit, insitio, pueros a variolis humanis liberat, clarissimum homoepathiae veritatis testimonium, virus enim vaccinum, morbum variolis humanis simillimum producit. Sed quando inserimus? Num quando variolae humanae jam erupernnt? Nam sic solum pus variolosum vaccinum tanquam homoeopathicum remedium haberi poterit. Concedam autem hoc fieri variolis humanis jam corpus occupantibus. Quid accidet? In eodem corpore duae variolae cohabitabunt, duaeque aegritudines similes alentur. Quaenam imperium tenebit, altera expulsa? Fortior. Utra fortior? Non profecto illa quae a puris vaccini insitione ortum duxit, nam si tanquam remedium adhibemus, periculo debet carere, si caret, minore efficacia polleat opus est, hinc fortior aegritudo illa est, quae ab humanis variolis originem petit. Sed variolas vaccinas nobis dat in humanis ut remedium Hahnemannus, igitur contra leges homoepathicas ab ipso sancitas, morbus similis mitior, vehementiorem sanare poterit. Verum quando in-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

serimus rogitabam; hoc facimus dum absunt humanae variolae, dispositio autem adest ad eas suscipiendas. Inserimus pueris, qui nondum variolas passi sunt, morbumque immittimus insontem, ferocissimo similem, ut tributum huic solvant, et a dispositione liberentur. Non curamus, nec prophilactice curamus, sed hic vere morbum morbo substituimus, et possumus hoc praestare, nam alter duorum non existit, sola praedispositio existit, quam delemus, morbi similis, sed haud perieulosi immissione. Et quia, pro lege, homines semel in vita variolas patiuntur, insitione vaccinarum variolarum nec praevertimus, nec curamus humanas, sed pueros a debito dimissos facimus. Curare enim non est morbos praevertere, sed illos praesentes persanare; cum praevertendo operam damus, elementa illorum e longinquo spectata evellere studemus, morboque facile futuro praesidia opponimus, ne accidat; cum curamus, morbum jam evolutum et praesentem dispellere conamur.

Tandem curationibus homoepathicis admissis, non omnibus, sed paucis tantummodo inter illas, et quas ab observatoribus fide dignis collegit Hahnemannus, quasque praxis nobis obtulit a partium studio aliena, nec unicum principium pharmacologiae, et therapeutices praebere posse, nec aliis curandi rationibus praeferendas esse inveniemus. Sunt profecto remedia indolis peculiaris, cujus actio loca amat a morbo occupata, ita ut effectus eorum sedem habeant eandem quam symptomata pathognomonica occupant. Fauces, cutis membrana mucosa, periostium luis aphrodisiacae ferociam praecipue experiuntur; hydrargirum frequenter fauces earumque glandulas muciparas, gingivas, palatum, proximas glandulas salivam secernentes irritat, ptialismum inducens, cutem exhantematibus defoedat aut ulceribus, dolores osteocopos exacerbat. Haec omnia morbi mercurialis nomine

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

in vulgus' nota, sanationem saepe praecedunt. Sed non tam tutum est salutem ab his molestiis opperiri, quam a pacata remedii operatione, quae utplurimum diaphoresi modica sed continuata perficitur. Scitis inter nostrates multo abhinc tempore morem invaluisse, in hydrargirosi salivationem, omnemque alium mercurialem fortiorem effectum curiose vitandi, illamque, si intervenit, cohibendi, aegrosque, si pauca graviora excipiatis, ad sanitatem perducendi si non cito, tuto tamen et jucunde. Insignia certe nostrae scholae merita, quae ad memoriam nostram revocat quotidie magistra rerum, experientia; nam saepe videmus homines exteris in regionibus mercurialium forti usu, et ptialismo insequente, paucis diebus a syphiliticis symptomatibus liberatos, brevi post aut in illa denuo incidere, aut pejora detrimenta, ex contagii per vehementem hydrargiri actionem degeneratione orta, pati.

Minus igitur commodum et tutum est curationibus homoeopathicis etiam possibilibus inhaerere, quam alias medendi vias inire, easque tum solum prudenti medico adhibere licebit, cum adeo in praecipiti res erit, ut melius sit anceps quam nullum dare remedium.

Quae reliqua sunt ad homoeopathicam pathologiam spectantia, aut ad verborum contumelias referuntur scientiae severitate indignas, quas spernimus, aut aperta sunt mendacia, quae continuo notabimus. Principium, ut vocat, homoeopathicum, totius medicinae columen, *usque adhuc ignoratum*, se jactat, atque ostentat primum detegisse Hahnemannus. Nobis interim novi hujusce principii revelationem expectantibus, dicit: *Si duae dynamicae affectiones, quoad formam aut modum manifestationis similes, quoad naturam differentes, idem organon aut corpus occupant, ita ut una mitior altera fortior, quoad vi-*

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

gorem sint, fortior mitiorem dispellet. Miror equidem eruditissimum homoeopathiae authorem, haec pro nova venditasse, nam a Coi senis inde temporibus ad nostram usque aetatem, veritas illa in vulgus cognita fuit, nec in universa medica bibliotheca liberculum perquam minimum invenietis, in quo pluries non enuntietur. Item medicos omnes ab artis inde primordiis usque ad nostram aetatem assumit credidisse, *morbum quemvis a materia morbifera tenuissima ortum ducere, seu acrimonia, quam expellere opus sit per varias excretionum vias, ut aeger ab eodem liberetur.* At quis ignorat pathologiae humoralis et solidaris disputationes, per tot volumina distributas, quis Methodicae scolae ab Asclepiade Bithyno fundatae oblitus est, quae pathologiae solidari innixa, doctrinam dogmaticam humoralem ab Hippocrate et Platone ad Alexandrinae scholae tempus usque vigentem damnavit; quis doctrinae humoralis serius ab Hermanno Boerhave excultae, et solidaris Friderico ab Hoffmanno propugnatae; quem demum fugit nostris ipsis in diebus, theoriam incitationis omnes humorum pravitates negavisse, morbum in solidorum sensibilium et irritabilium abnormibus conditionibus unice consistere contendentem? Nonne jamdudum trita res inter medicos erat, materias per varias viás, a corpore aegrotante in aegrotationis declinatione rejectas, effectus non caussas morborum esse? Quem ante Hahnemannum latebat, primariam morbi conditionem in virium vitalium solidarum partium turbis radicari, verum cum humores organici vitae etiam participes sint, posse et a naturae consiliis deflectere, aut intestinis ortis mutationibus, aut materia ab indole eorum aliena, per vasa absorbentia advecta, ita ut morbi quandoque a crasi humorum mutata primam originem repetere non repugnet? Quod si ita se res habent, aut nos nihil novi edocuit Hahne-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

minnus, aut lunae potius habitatoribus quam hominibus sermonem facere arbitratus est.

Omnem autem incredibilitatis expectationem vincit homoepathica pharmacologia, in qua vel altior humana intelligentia aliquid comprehendere nec potest, nec poterit. Nam usque dum mens nobis erit eadem quae ad universum genus humanum, solis exceptis homoeopathicis, pertinet, doses per quam minimas, nullas, arithmetices auxilio tantum cogitabiles, activitate pollere nullo modo concedere fas erit. Non remediis eadem dosi utuntur, qua in antiquis homoeopathicis curationibus utebantur majores, nosque utimur arrepta occasione, in qua sola possibilitas utilitatis hujusce methodi consistit, sed tantillam remedii adhibent, et mirabilia expectant. Vires illae morbiferae morbis *artificialibus*, iis qui a natura suut fortioribus, gignendis pares, et homoeopathice sanando, attenuationibus, dilutionibusque interminabilibus parantur, usquequo guttula aut granum medicamenti in decies, vicies, tricies, quadragies, quinquagies, sexagies, septuagies, octogies, nonagies, centies centenas millesimas et ultra partes aequales dividatur, quarum unaquaeque in homoeopathico promptuario collocetur, formidabiles effectus patratura.

Vos jam stupore perculsos, et vertigine quasi exagitatos, haec audientes cerno. Sed revocate intellectus vires, totoque conatu attendite, hic enim empiria abrogata, fastum subtilioris ratiocinii induunt homoeopathici. Supponam autem, quod fieri non potest, ut vicies centies centena millesima pars guttulae tincturae chamomillae valeat in homine satis agere ut effectus suscitet quos ipse sentiat, et ego percipiam. Hi effectus certum vigorem habere debent, et quantitati stimuli a quo promanant proportionales esse. Sequitur inde quod si guttulam aut granum in-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

tegrum dem, vigor effectus tantum primum superare debet, quantum integrum vicies centies centenam millesimam sui partem superat. Erit ergo vicies centies centies millies fortior. Verum si primus effectus satis vigoris habebat ut homo illum sentiret, ego perciperem, morbumque gigneret praeexistentis vicarium non solum, sed praevalentiorem et debellatorem, secundus, vicies centies centies millies fortior, poterit ne ab humano organismo tolerari? Credibile est ab eo corpus penitus non destructum iri? Quid, quod de duarum, trium, et plurium guttularum aut granorum integrorum horrendis effectibus? Ast meam, omniumque hominum adjuro fidem, guttulam integram chamomillae et granum sulphuris, nec duas, tres, quatuorve guttulas aut grana, nunquam aliquid produxisse in quocumque aegroto, quod vel microscopio praeconceptae opinionis visibile fuisset. Comparationem inter guttulam aut granum, et vicies centies centenam millesimam ejus partem, consulto institui; nam novi mores homoeopathicorum, qui quamvis vicies centena millia volumina rem medicam tractantia inter quisquilias ut inutilia rejecissent, non haesitarent ab iis excutere quae nuper de maxima actione dynamica, minimaque chemica in corpus eorumdem remediorum, si parva dosi administrantur, et inversa ratione, si magna, excogitata fuernnt, nobis objicere. Si vera haec sunt (non est enim hic locus disquirendi) rationem continent granorum ad drachmas, aut uncias, ab ea profecto quae granum interest, et vicies centies centenam millesimam sui partem longe differentem; in illis de duabus diversae naturae actionibus, chemica nimirum et dynamica sermo est, in his tantum de dynamica loquitur. Regerunt autem non repugnare tenuissima remedia homoeopathica effectus sensibiles gignere, quippe quae in eadem parte agunt a morbo occupata, et inde maxima

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

receptivitate pollente. Sed si vicies centies centena millesima guttulae aut grani particula quomodocumque in corpus ingressa, locum afficit qui a morbo detinetur, guttula et granum idem faciant, in eundem effectum vicies centies centies millies fortiorem inducant, id est eum destruant opus erit. Ii autem inter recentiores homoeopathicos qui summum scientiae fastigium se attigisse arbitrantur, nihil negotii esse putant illusionibus his medicinalibus activitatem vindicare, et particulas illas per exiguas majoribus quantitatibus vi praecellere, probare. Non amplius empirici, ex doctrina corpusculari Epicuri, ex philosophia naturae, aliisque idealismi recentioris commentis, nec non ex theoria chemica atomistica, mutuatis rationibus, seriem subtiliorum ratiociniorum ordiuntur, et hoc modo argumentantur. Omnis quae existit materies ex innumeris exiguisque particulis, sive atomis, conflatur, quarum singula activitate propria praedita, cum alia, activitate opposita dotata in conflictum venit, ex quo cum neutra victrix evadat, sunt enim activitates aequipollentes, corpus aut materies emergit, qualitatibus atomorum non respondens, sed nova gaudens activitate, ex aequilibrio virium particularum constituentium conciliata. Sequitur atomorum congeriem sive materiem, vim habere *minorem*, quam atomum singulam, nam haec dum sola existit nec cum aliis congregatur ad materiem constituendam, a vi alius non contrariata, integra plenaque sua potentia gaudet. Itaque si materiem eam admodum resolvere possimus ut singulas atomos ab aliis disjungere valeamus, easque separatim possidere, totidem virtutes non limitatas a contrariis haberemus. Hae vires atomorum, mere imponderabiles, electricitatis ad instar, corpus percurrunt, effectum quem praestare possunt generaturae. Verum dilutionibus et attenuationibus homoeopathicae pharmaciae, atomos illas consti-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

tuentes obtinemus absoluta virtute praeditas , hae ergo pura qua gaudent vi sedem morbi afficientes , poterunt morbum artificialem naturali fortiorem edere, etiamsi tenuissimae sint. Accedit quod homoeopathica methodus non solum remediis innititur , sed victum rigorosissimum imperat , simplicia tantummodo alimenta concedit , fercula , aromata , caepas , petroselinum , omnia alia olera odorem spirantia , item cibos omnes potusque , non coffeam tantum et theam , sed et alios , qualitatis alicujus medicinalis aliquantulum possidentes , arcet , ita ut corpus insipidis , parumque stimulantibus rebus nutritum, et possit receptivitatem maximam sibi conciliare , propter stimulorum absentiam , et in humoribus suis nihil continere medicinalis, quod effectibus atomi efficacissimae renitatur. Quamobrem haud mira res est atomum tenuissimam in tam sensibili corpore activitatem exserere , effectusque considerandos provocare. Quod ut exemplis etiam illustrent ad moschum confugiunt , perpetuum vulgus argumentum, materiem in infinitum dividuam probaturi. Si granum moschi (quoties mihi haec incondita verba ab homoeopathicis accepta , homines , aliunde eruditi , sed a medicina profani , nec non matronae homoeopathica phantasmagoria praeoccupatae , magno non sine taedio , repetierunt !) in amplo servatur conclavi , atmospheram ipsius suo halitu inquinat , quin ponderis aliquam minimam partem amittat. Oportet autem ut exiguae particulae a moscho avolaverint, ejusque odorem aëri impertierint. Si autem histericae mulieres ibi adsunt , statim odorem sentiunt , distensionibusque nervorum afficiuntur. Hoc vero evenire haud potuisset, nisi particulae illae perquam tenuissimae, non fuissent efficaces.

Quae ut ut speciosa videantur , tamen tanquam nebula a solis radio , ita a luce rectioris ratiocinii disperduntur. Nam si de primitiva materiei constitutione quaeramus , tam temerarium

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

quaestionis genus agitabimus, conceptuque nostro difficillimum, ut dubitandum haud sit, quin quidquid invenerimus nil sit nisi hypotesis, sive magis aut minus probabile commentum, curiositati nostrae potius quam rationi satisfacturum. Hinc etiamsi Kantio dem viribns constitui materiem, viriumque existentiam materiei. existentiam praecedere, propterea quod materies debet spatium implere, et non posset nisi particulae ejusdem inter se cohaereant et extra semet positae sint, licet probabile inveniam hoc praestare vires universales attractivas, et repulsivas; quamvis Schellingii subtiliores excogitationes de identitate idealis et realis, substantiae et formae, ac de minime absoluta materiei existentia, quasi virium permanens phoenomenon tantummodo repraesentet, non ignorem, in omnibus his non video nisi humanae mentis ad altiora adnitentis inanes conatus, nisi adumbrationem, suspicionemque quasi dixerim consilii, juxta quod materies constituta fuit, ita ut non repugnet rationi rem ita se habuisse. Hos limites transire datum mortalibus non est, et quamvis utile et necessarinm sit intellectum hac in palaestra exercere, ut vires ejus acuantur, sensusque veri pulchrique evolvatur, expeditiusque ratiocinium adquiratur, summa opus est circumspectione, ne hypoteses crepusculi vices gerentes, pro luce meridiana accipiantur, ne probabiles tantum conjecturae, pro certis ac exploratis rebus habeantur, et in usum vitae trahantur. Talia, ut scitis, et nos in exercitationibus nostris non negligimus, sed ea ut doctrinae fundamenta ponere stultum existimamus; quis enim hypothesibus mercari cum de vita hominum agitur, audebit? Attamen hypotesim demus, et aliquantisper atomorum constituentium praestantiam concedemus. Quaeramus interim fieri ne potest ut atomos illas primitivas et separatas possidere queamus. Si sunt virium particulae, contractiva aut expansiva

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

efficacia praeditae, statim ac una ab alia non limitabitur, avolabunt, et potentia earum cessabit. Ecquis unquam particulas imponderabilium, lucis, electricitatis, galvanismi tenuissimas figere aliquo modo posse putavit, ut activitates puras in promptu haberet? Nonne mobilissima virium natura a statu fixo aliena est? Igitur si duae adsunt aut plures atomi in dosi homoeopathica, effectus puros haud obtinebimus, vis enim unius atomi a vi alius limitata, in statu indifferentiae permanebit; si unam atomum nobis in promptu esse credimus, nihil habebimus, vis enim a contraria reactione liberata, illico evanescet, miraculique homoeopathici possibilitas cessabit.

Sciscitabor iterum quomodo guttula et granum in atomos elementares dispertiantur; successiva primae cum aqua, secundi cum saccharo lactis admixtione hoc fieri declarabunt, ita ut vicies centies centena millesima grani pars (atomus) cum grano sacchari lactis, aut aquae conjuncta sit. Quantae autem atomi et diversae naturae insunt in guttula aquae, et in grano sacchari? Intelligi potest atomum substantiae primitivae ad pristinam simplicitatem, ideoque ad absolutam suam efficaciam, attenuationis ope reductam, secundum leges ipsis ab homoeopathicis invocatas, in atomos aquae, et sacchari non reagere, ab iis non limitari ejusdem vim, etiamsi credibile foret atomos activitatem imponderabilium possidentes, eam in singulas divisas retinere? Usquequo demum tolerantia nostra abutentur, et miracula fatuis canere pergent? Si atomus singula, ut dicunt, plus habet efficaciae quam plures atomi copulatae, eo quod activitatem propriam absolutam, non limitatam exserit, in guttulis aut pulvilsculis homoeopathicis non unicam et solam atomum aeternae divisionis fructum, sed ea, et innumerae aliae atomi aquae aut sacchari, activitatem propriam habentes, ejusque vim limitan-

*

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

tes existdnt. Sed ubinam sunt atomi? Quisnam illas vidit? Deliria Epicuri et Cartesii in memoriam revocemus, eaque ut fundamenta medicinae, nobilissimae, utilissimae, necessariae artis ponamus? Sunt certe elementa quaedam tenuissima primitiva corporum, a cujus coacervatione materies ortum ducit, aut, ut rectius loquar, materiam quam cognoscimus in minutissimas particulas elementares seu moleculas, intellectus ope, aut matheseos dividere possumus. At longe absumus ab illarum molecularum aperta cognitione, earum historiam naturalem non perspectam habemus, eas oculi nostri unquam viderunt, nec manus tetigerunt. Quod si nuper apud chemicos de atomis sermonem faciendi mos invaluit, in chemia atomi aliam atque aliam, quam apud homocopathicos, significationem obtinent. Nam postquam chemia eo pervenit, ut inter scientias altioris perfectionis locum facile habeat, factum est ut in cognita qualitate mixtionis scrutatores haud substiterint, sed relativam quantitatem elementorum diversorum detegere conati sint. Cum autem hocce in negotio mathematica egerent subductione, unitatem, seu elementarem quantitatem ad calculum perficiendum necessariam, atomi nomine insigniverunt. Ex quo elucet atomum in sensu chemico diversam significationem habere, quam quae sumpta est ab homoeopathicis, nunquam enim nec apud ipsum Berzelium de fortissima vicies centies centena millesima grani parte, de animabili horum tenuissimorum corpusculorum indole, de pura absolutaque illorum activitate, majores superante materiei quantitates, agitur. Quod vero ad moschum aliasque ambrosiacas penetrantes odoras res attinet, non inficiabimur tenuem substantiae eas spirantis partem, atmospheram odoriferam gignere, debilibus et summe sensibilibus infestam. Sed hoc concesso, sequitur forsan aut rationi consonum est, eo in aere innumeras moschi atomos volitare,

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

vim hominum sensiferam aggressuras, sanitatemque infecturas? Si etiam illustrationes phaenomeni deessent, si odorum elementum hydrogenem probabiliter esse nesciremus, maxime volatilem et expansivam substantiam, imponderabilibus adfinem, ideoque qualitate potius quam quantitate efficacem, non deceret potius ignorantiam caussarum phoenomeni fateri, quam rem obscuram obscurissimo commento expedire, et inter novae doctrinae sustentacula trahere? De victus autem strictiori ratione, quam strenue urgent homoeopathici, plura nobis dicenda extant, ut intelligant non facilis esse negotii verba scientibus dare. Et sane risum movent dum cibos aliquos prohibent, quia medicinalem substantiam, remedii homoeopathici vim enervantem, continent. Et primum in his adsignandis non constant, nam talia, aegrotorum stupore, alii permittunt, quae alii medici damnaverant in eodem morbo, et ejusdem medicamenti sub usu. Pisa manducanda esse, medici permissu, ab aegrotante nuper comperi, carduos sativos vitandos, potumque e seminibus *cacao* tostis, pro jentaculo sumendum. At in pisis et *cacao* non desunt certe principia quaedam, non dicam medicinalia, sed aliquo modo stimulantia, et alimenti qualitates non habentia, nam illa flatus, doloresque intestinales saepe provocant, hoc ventriculum non validum molestat. Si autem accuratius rem perpendere velimus, nullum inveniemus cibum aut potum, principii cujusdam medicinalis expertem. Nam in pane, et reliquis farinaceis, in carne, lacte ipso, tanti ab homoeopathicis aestimato, in aqua potabili, substantiis quibus minime indigere homines non possunt, innumera principia analysis chemica detexit, aut vere, aut quasi medicinalia, ita ut *simplex alimentum* eorum sensu tunc solum praebere possent, cum homines aqua tantum, et distillata se enutrire potis erunt; et hoc vix ac ne vix quidem praestabunt, nam aqua,

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

quanquam naturalis potus, medicamenti sat efficacis saepe saepius vices gerit. Item aromata, effectum mirabilem vicies centies centenae millesimae atomi destructura, quae fugere, lege severissima sancitum est homoeopathica, late patent, nec modus vitandi in promptu est; nam tametsi cinnamomum, allium, origanum, thymum, vanillam, et quae sunt reliqua meis jusculis pellam, quamvis flores, bene olentes herbas, aliasque fragrantes et reficientes res mea e domo ejiciam, ubinam loci me includam, ut odora effluvia agrorum a zephyris ad sat magnas distantias frequenter diffusa, terrae aridae ex pluvia nidorem, nebulae fortem et ingratum odorem, urbis populosae tot tantaque inevitabilia, grata, aut tetra odoramenta, ex tot hominum coacervatione, rebus culinariis, artibus, opificiis multifariis, commercio jugiter vacantium orta, evitem? Stultum igitur quia inutile erit, tanto studio internum usum olentium rerum fugere, si exterius quovis momento, et necessario nobis obviam occurrunt.

Verum cum in diaetetica, unica pars activa therapeuticcs insit homoeopathicae, ejus adeptos monemus, et hoc respectu, nihil novi invenisse Hahnemannum. Fuit enim, Celso monente, antiquissima curandi via, quae victu medetur, atque in omni aetate ut utilissima, sic et celebratissima. Novimus Galenum meminisse, inter methodos curandi *metasyncriticam* extare, a Thessalo primum excogitatam, ab Asclepiade Bithyno perfectam, quae, ex eorum mente, curare adnititur, mutando, aut penitus renovando rationem molecularum, aut corpusculorum insecabilium, e quibus corpus existimabatur conflatum, et constitutum. Hanc itaque metasyncrisin, laudatissimi Sprengelii testimonio *recorporationem* nominat Caelius Aurelianus; fit autem quandoque lento modo et pacato, ut itinere, victus, habitationis, morum, studiorum, negotiorumque mutatione, aliam plane

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

virium rationem , hinc mixtionis organicae temperiem producere studeat , quibus diuturni saepe morbi complures, alia artis conamina eludentes, nonnunquam sanantur. Nec expositionem veterum modo indicatam , hodierna recusat subtilior physiologia ; nam cum vita interna , se ipsam , exercitio , consumens , in longum durare nequeat , nisi continuo a rebus externis restauretur , cumque natura externa alimenta suppeditet , nec non rerum imponderabilium dynamica virtute valentium penum , sequitur ut tenor vitae a differenti horum agentium concursu , variam conditionem adipiscatur. Quamvis enim vitam statum actionis per se subsistentem esse firmiter credamus , tametsi Brownio a stimulis eam primitus suscitari urgenti , pugnaciter renitamur, utcumque leges suas ubique sequi , nec unquam , dum vigor superest , impulsibus rerum externarum obtemperare, certi simus , non possumus tamen quin concedamus , materiei organicae conditionem, viriumque vitalium rationem, ab alimentorum varia natura, et ab imponderabilium externorum vario influxu, quodammodo definiri. Hinc dabimus digestionem , assimilationemque qua late patent, iisdem legibus perfici, si a regno animali, aut a vegetabili cibos hauserimus, si in motu , aut in quiete has functiones exercuerimus , si calida , frigidave fuerit tempestas , si aer humidus , vel siccus , magis , vel minus electricus , si intellectus , animique vires eodem tempore otium aut negotium egerint, verum chymus , chylus , sanguis qui emergunt, non iisdem qualitalibus notabuntur , sed aliam atque aliam indolem praeseferent , prout varia fuerit externorum agentium dominatio. Attamen cum ex sanguine ad ulteriorem elaborationem perducto , corpus restauretur, omnes ejus fibrae particulas amissas recuperent , humoresque secreti originem sumant, consequitur has materias , quibus organismus vere *recorporatur* , indolis sanguinis ,

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

a quo promanant participes esse. Hinc plethoricis, fervidis, ultro validis hominibus victum frugalem, temperantem suademus, vinumque detrhaimus; languidis, flegmaticis, senibus cibos animales, aromata, vini potum consulimus, sicque *recorporationi* alterutrorum studemus. Cum interim in omni morbo diaetam opportunam ex his principiis descendentem, nostri officii sit jubere, sunt certi morbi, in quibus curandi rationem quasi totam a regulis *recorporationi* faventibus, desumere debemus, et in quibus pharmaca, si quae administramus, ad eundem finem assequendum conspirant. Diuturni morbi ab acutis profecto differentes, quidquid ab Asclepiadis Bithyni aetate ad nostram usque excogitatum sit, ut naturae differentia elucesceret, vere in eo differunt, quod in acutis turbae morbosae in exercitio vitae externae adparentis, seu motus organici consistant, in chronicis, morbus in vitae internae, plasticae, invisibilis, verum externae productricis, eamque sustinentis, radicetur. Haec vita, aut potius modus vitae, materiae organicae elaborandae, et in structuram organicam redigendae dicatus, proximum cum substantiis reficientibus mundi externi, alimentis, et imponderabilibus rebus commercium init, unde fit, ut dum male se habet, in harum rerum opportuna administratione, praecipuum, si non unicum inveniat auxilium.

Itaque si homini diuturno morbo laboranti vicies centies centenam millesimam guttulae tincturae pulsatillae, aut croci partem quot hebdomadis (nam horum potentissimorum medicaminum frequentem usum extimescunt) dant medici homoeopathici, interim genus vitae rigidissimum ei injungunt, nec non certum motum certam quietem, certam vigiliam certum somnum, pauca simpliciora alimenta, puta carnem, panem, lac, farinacea, paucaque alia, insulsa et non condita edulia, aquae tantum

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

potum, odoramentorum valedictionem, caeteris vitae muneribus, consuetudinibusque vel plane interdictis, vel mensurae severissimae adstrictis, et plures post menses aut annos, eum ab aegritudine liberant, curationis nec cito, nec jucunde peractae gloriam, minus remedio incongitabundo, quam vitae generi tribui debere, nemo est qui non videat. Fucum ergo profanis faciunt, dum atomis ea perficere autumant, quae metasyncrisi ex diaetetica orta operantur.

Quod vero ad acutos morbos attinet, monebimus atomorum pharmacologiam maximas in angustias redigi. Nam inter acutos multi sunt, qui aut indole, aut incospicua intensitate, aut respectu subjecti, naturae viribus sanantur, arte, propter adminicula adhibita, gloriam usurpante. Si puer rubeola, variolis, morbillis benignissimis afficitur, perinde est si solam aquam ei potandam dederimus, ac una cum ea atomum belladonnae, vel alius medicamenti; si lectulo eum detinemus, victumque opportunum ei suppeditamus, semper, naturae ope, consanescet, adeo ut atomus nihil ad curationem conferat. Si vero acutus morbus talis est, ut natura sine artis ministerio eum vincere non possit, tunc contradictionis pacifici possessores homoeopathici, et atomos formidabiles morbum similem producturas aegroto porrigunt, honoris caussa, et simul proscripta remedia allopathica jubent, v. g. venaesectionem in inflammationibus, purgantia in gastricis febribus, salutemque, si obtinent, atomis, non aliis rebus gestis adscribunt. Igitur et hic facile est colligere, atomos praedilectas nullam partem in curatione habuisse, nam si habuissent, homoeopathica fuisset, inflammationis, aut gastricae febris intensitatem duplicavisset, hoc autem directe opponitur effectui venaesectionis, et purgantis medicamenti, quibus revera morbus abactus fuit. Quomodocumque igitur rem spectemus, fu-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

tilem , et rationi repugnantem doctrinam pharmacologicam de viribus efficacissimis atomorum inveniemus. Festivitate autem Moleriana , potius quam academica severitate refutandum esse putamus, modum atomos medicinales per olfactum administrandi. Postquam enim tres quatuorve guttulas, aut pulvilsculos atomisticos sumendos dederunt , corpus homoeopathico medicamento perquam saturatum judicantes, novas atomos in ventriculum injicere non audent, fortissimae illarum actionis metu, tunc guttulam substantiae aromaticae, aut aromatis expertis in lagena aquae aut spiritus vini dissolvunt , aegrotoque praebent ut olfaciat , exhortanturque ne ad nares nimium appropinquet os lagenae, nam atomi ex vase in quo includuntur acervatim , magnoque impetu prosilire possent , turbasque ingentes provocare. Decet , quaeso, ingenuos medicos et frugi, hanc methodum pseudo-odoramentis innixam , refellere ?

Sed ad facta redeunt homoeopathici , seque experimentis fiduciaque hominum ex felicibus curationibus orta circumsepiuntur. Et certe facta vel experimenta , si quae fuerint , vera , sicut omnis scientiae primordia admitteremus , etiamsi caussas compertas non habeamus. Sapientis est , ut vos saepe monui , non negare quae non intelligit , dummodo vere existant , et in sensus cadant, nam nec homo omnia comprehendere potest , nec unius hominis intelligentia totius generis humani intelligentiam repraesentat, multorumque phoenomenorum rationes antea latentes , passim et tractu temporis cognitae sunt. At ne adsensum festinetis vos simul monui, sunt enim certae regulae, quae quibus rebus fides habenda , quibus deroganda sit , nos docent. Et prima harum regularum haec est , ut causa phoenomeni cujus natura nos latet, saltem *quantitative* eum effectum gignere potis sit , nam effectum non dari causa nobiliorem , jamdudum inter axiomata

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

locum obtinuit. Quis autem ab atomo morbum sanari posse probabile inveniet? Scimus praeterea factum, certum, exploratum illud esse, cujus contrarium absurdum, aut impossibile est, experientiamque nos tunc solum possidere, cum necessarium phoenomeni et caussae latentis nexum perspicimus, certique sumus a nulla alia caussa, praeter eam, idem phoenomenon produci. Sic rata res est, experientiaque comprobata pneumoniam veram sine audaci iterataque sanguinis missione, intermittentem perniciosam febrem, aut quartanam autumualem sine largo corticis usu, luem aphrodisiacam sine mercurio haudquaquam sanari. Facta autem ab homoeopathicis praedicata vel nulla sunt, vel aliam explicationem facillime admittunt. Et hic juvat meminisse, experimenta homoeopathica paucis ab hinc annis in uno nostrorum nosocomiorum, auctoritatis permissu, instituta, coramque omnibus per quadraginta dies sedulo continuata, quamquam maria et montes nobis polliciti essent homoeopathici, nec minimum phoenomenon, nec curationem ullam attulisse. Ibi autem atomi *praecellentes*, non quidem majores doses *minus valentes*, aegrotis sumendae dabantur; nam dilutiones, attenuationesque, nec non administrationes, accurate, medicae facultatis proceribus inspicientibus, providentissimi Regis decreto, perficiebantur, adeo ut non erroris caussam adducere possent, ad defectum curationum excusandum. Reliquum est ut ad curationes, singularibus in aegrotis, privatim homoeopathice tractatis, celebratas animus advertatur. Mihi autem, nescio quo fato, obviam fuerunt frequenter occasiones, curationes homoeopathicas privatas inspiciendi, easque diligenti observatione prosequutus sum, ut sententiam ferre meam rite possim. Quinimo silentio praeterire haud possum, me ut ad homoeopathiam confugerent aegri aliquoties authorem fuisse, cum ineptam therapiam, absente vero morbo,

*

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

haud nocere posse, illum non compescendo, judicassem, cumque imaginatio intemperanter homoeopathicis miraculis agitata, spem relinquebat fore, ut atomorum medicinalium illusoriae et praestigiosae vires, effectum a forti fiducia quotidie in nervosis, mobilibus, credulisque hominibus generatum, producerent. Nec me ita agentem unquam poenituit ad facilem triumphum homoeopathiae viam struere, nam ut homines a morbis persanentur, quoquo modo, et a quocumque, mihi tantum in votis esse, neminem qui me noscit, latet. Attamen vobis testis esse debeo, studium hocce, sedulamque explorationem, nullum factum, nullam experientiam mihi exhibuisse. Et re quidem vera si ad casus aliquos quorum compendium hic vobis exibeo, animum appelletis, in hanc abire sententiam haud minimum possetis. Vir erat illustris, parva crusta cancerosum ulcusculum obtegente, labio in superiore cruciatus. Flagranti homoeopathiae amore captus, coryphaeum doctrinae Hahnemannum ipsum adiit, et haud in sanatione haerens, tres atomos mysteriosas obtinuit, quarum singula quot quadragesimis diebus sumenda erat, injuncta victus strictissima ratione, et data fide, se ita agendo, centum viginti dierum spatio a morbo illo horrendo liberatum iri, tuto, cito, jucunde, et certe. Neminem unquam vidi, qui eadem fiducia, eademque convictione futuram indubiam utilitatem percipiendi curationem subiret, ita ut me frequenter irrideret auxilii chirurgici efficaciam, ne sera nimis evaderet, urgentem. Gliscente indies ulcusculo, glandulis labialibus turgentibus, doloribusque lancinantibus frequentius, fortiusque recurrentibus, labio praeter morem tumente, aegro gratulabantur Hahnemanni adseclae de praesente homoeopatica actione, sanationem haud dubiam, juxta doctrinae leges, jugiter praecedente. Ego interim sortem aegrotantis plorabam, medicinae novae honorem in praecipiti esse

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

videbam. Centum viginti diebus elapsis, tribus atomis voratis, victus ratione ad unguem expleta, confabulationibus homoeopathicis diu noctuque habitis, et sanationem abesse, et morbum in pejus ruisse, aegrotans stupore, nec non sine animi dolore comperiit, homoeopathicisque nuntiavit. Tunc duplicatis sollicitudinibus, ut animos adaugerent, novas imperant *vires morbiferas artificiales*, primum tincturae dulcamarae atomum exhibent, ut periculum novae curationis faciant, promittuntque, si a spe forte frustrarentur, atomo auri, strenuissimo ac infallibili medicamento, fore ut morbus manus victas daret. Hoc fervente opere, literas ad Hahnemannum properanter mittunt, oracula expetentes, responsumque obscurum accipiunt. Tunc atomos invincibiles metallorum nobilium auri, et platinae ministrant, et laterem, magno stupore, iterum lavant. Moras, haec videns, rupit vir illustris, Germaniamque profectus est festinato, ut per se Hahnemannum sciscitaretur de rebus in futurum agendis. Culpam defectae sanationis, in suos adseclas, et in vivendi rationis vitium statim rejicit. Ægrotanti novam curationem sub ipsius Hahnemanni oculis expetenti, longam, et per plures annos duraturam fore, respondit. Cunctationem non expavescere, si se sanaturum polliceretur, replicavit aeger hallucinatus. Hac quaestione, ad clariorem sermonem pronunciandum compulsus Hahnemannus, se ullam certam spem futurae sanationis fide bona, dare posse negavit. Cum haec audiret nobilis vir, radium lucis menti suae illucescere, offusamque oculis caliginem dispersere sensit. Credulitatis suae illimitataeque fiduciae meritas poenas luere probe noscens, patriae suae longinquae viam legit, de sanitate recuperanda desperans. Multis ab hominibus, illis e regionibus huc saepe advenientibus, accepi, miserum carcinomatis horrendum, irreparabilemque progressum pati, causaeque aerum-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

narum suàrum non ignarum, eodem ardore quo homoeopathiam magnificabat, in illam invehi, omnesque ad eam, cane pejus et angue, fugiendam hortari. Nobili insuper puellae oculorum alter caligare incepit, principiumque suffusionis adesse medici pronunciant. Curationi homoeopathicae eam committunt parentes, qua integram per hyemem pergente, de statu haud dubie in melius mutato, parentibus, amicisque saepe saepius gratulatus est medicus homoeopathicus. Interim cum ad veris initium ventum est, fidemque inspiratam sanationis, inexorabilis experientia adimisset, medicis ocularíis interrogatis, huiusce, aliusque magnae urbis, cataracta jam formata invenitur, chirurgicaque operatio, pro omni remedio commendatur, ambigiturque tantum num illico, instituenda sit, an procrastinanda, et, ut de hac haesitatione judicium ferant, ad celebriores medicos ocularios Lutetiae Parisiorum, quaestio scripta mittitur. Vermibus, certo tempore, puella alia nobili laborante, mater homoeopathicis pseudo-miraculis caecutiens, novae medicinae opem imploravit. Rem nullius negotii esse vermes exterminare, medicus declaravit, promisitque fide, se remedia homoeopathica prae manibus habere, quae non solum praesentes vermes interfecerint, sed et germina futurorum destruxerint, adeo ut per totum vitae curriculum, puella a verminosis affectibus futura sit immunis. Atomos vermicidas, potius vermiparas (nam si a vermibus homoeopathice liberanda puella erat, potentias morbiferas artificiales vermibus gignendis aptas administrare opus erat, aliter allopathice egisset) sumendas dedit, et post hebdomadam, quo tutius ageret efficaciusque, administrationem iteravit, declaravitque in posterum vermibus omnino fore ut careret puella. Mense interim vix transacto, plures, uti solebat, ascarides lumbricoides ejecit puella, materque illusa, mihi haec narrans, ira, propter thra-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

sonicam homoeopathicorum jactationem, aestuabat. Illustris quoque juvenis arthritide acuta detinebatur, et hebdomadae intercapedine, medicinae prudentis induciarum impatiens, a me drastica potentiora efflagitabat, sibi enim in animum induxerat, se his remediis breviter sanatum iri. Cum illi hac de re firmiter abnuissem, aliusque medici consilium expetere proposuissem, mihi enim extra omnem dubitationis aleam positum erat, fortiora purgantia his in circumstantiis a nemine obtinere posse, se ad homoeopathiam convertit, me summopere gratulante, nam in ea eram sententia ut crederem, efficacem medicinam, plusquam expectantem, tunc nocere posse, homoeopathicamque inefficacissimam therapiam, perquam expectantis medicinae vices gerere. Posterior hebdomanda aegrotationis ad finem vergebat, medicus homoeopathicus se sanaturum pollicetur cito, idest trium aliarum hebdomadarum intervallo, scilicet ordinario arthriditis cursu absoluto. Hoc prodigii homoeopathici loco habui, hominem moras horarum antea aegre ferentem, inducias trium hebdomadarum, aequo patientique animo recepisse. Juscula absque herbis olentibus, farinacea, lac, pro epulis dat, aquamque potandam; interim atomum unam homoeopathicam, nescio qualem, ad dolorem homoplatae dexterae debellandum ministrat, die prima. Postridie atomum aliam porrigit ad dolorem genu sinistri profligandum. Forsitan nugas de homine dextero et sinistro, media parte, per accidens, conglutinatis, ex damnatis medicis libris retinuerunt homoeopathici. Aegrotans vero, cum dolorum utroque in latere cessationem frustra expectavisset, seque ludificatum suspicavisset his remediis duo corporis latera legentibus, postquam ad officiorum vicissitudinem assequendam, medicum per aliquot dies cavillatus esset, dimisit eum. Minerales fontes omnes, sive de potu, sive balneis agatur, aquamque marinam, ad quos acervatim decurritur quo-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

tannis post hominum memoriam, profecto ob minus deficientem utilitatem, tanquam pestem fugiunt homoeopathici, ab iisque in Hahnemanni verba jurantes, nullo neglecto exhortationis genere, avertunt. Optime quidem provisum, nam curationes quas sine dubio obtinerent, therapiam atomisticam in pulverem reducerent; quantae enim insunt atomi balneo aquae marinae aut thermalis, quantae cyatho aquae sulphuraee, vel ferruginosae? Nihilominus cum matronae perillustri, superiore aestate ineunte, operam suam daret medicus quidam homoeopathicus, balnea marina a *medicis vulgaribus* multis, tamquam essentialissimum remedium commendata, ex more improbavit, verum jussit pluries de die, spongiis aqua marina imbutis, corpus per multa scripula horae primaria affundere. Ignoramus interim adhuc quid intersit, homoeopathicae, inter affusiones, et immersiones, suspicamurque ne affusionibus repetitis aquae marinae, remedii contra scrofulosos adfectus (de hoc enim agebatur) valentissimi, morbum frangere conaretur, quod honori atomorum belladonnae, quas simul dabat, tribueret. Hoc autem a factis nullis, ad illa quae alienam explicationem admittunt, viam nobis sternit. Virgo nobilissima chlorosi incipienti aegrotabat, et medicinae opem quaerebat auxie mater amantissima, cujus sollicitudo jure meritoque augebatur, propter recentem alius filiae crudelem, praematurumque interitum, cujus culpam in vitiosam curationem conferebat. Accersito, innumerae difficultates mihi obviam fuerunt: morbus maximopere considerandus, mater plorans, formidans, et in omni remedii administratione haesitans. Nullum vitae genus, nullus diaetae ordo, nullum horarium, studiorum, lusuum, deambulationum, coetuum, conviviorum inordinatus usus, uno verbo Hippocraticarum conditionum ad curam obtinendam duo praecipuae, *aegrotus et assidentes*, de-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

ficiebant. Morbo his auspiciis increscente, febre lenta jam accensa, superaddita amenorrhoea, deque meliore cooperatione desperans, me, ut meum institutum hisce in tricis est, hoc a negotio retraxi. Adfuerunt alii collegae, rebusque eodem modo se habentibus, me imitati sunt. Adfuit tandem atomipotens homoeopathia, plenusque, uti usuvenit, mos gestus fuit. Victum omnem ad paucas lactis asinini uncias reduxit, et ad tantillum panis, statis horis modicissimam hanc refectionem sumere jussit, studia, coetus, ambulationes, choreas ablegavit, omniaque aegrotantis virginis vitae munia suum sub imperium redegit ita, ut nec aquae poculum capacius potare, nec plus äeris respirare, nec plures gressus renovare, nec somnum ultra quadrantem horae protrahere auderet, quam quod a severissima praescriptione non fuerit concessum. Instituta hoc modo metasyncritica curatione, ejusque praeceptis, pro re nata, solerter variatis, atomorum usus accessit. Atomis autem et victus ratione strictissima rem therapeuticam gerente homoeopathia, meliuscule se habere incepit virgo; tandem sex post menses, quin omnino convaluisset, multo meliore fruebatur valetudine, tunc ut nullum metasyncriseos deesset elementum, ad iter suscipiendum eam compulit homoeopathicum oraculum. Atomis ne, an metasyncrisi ex victus severissima ratione provocata, melior status adscribendus est? Cum adhuc nemo sit qui ignoret, in cachexiis a ratione victus, rationem medendi praecipue desumendam esse, cumque compertum sit, in chlorosi vim ventriculi intestinorumque digerentem, adsimilantem nisum glandularum mesentericarum labefactatos esse, sanguinis elaborationem minus perfici, (deficiunt enim fibra, et cruor, sero maximam partem constituente), nutritionemque labascere, facile elucet vitae plasticae primarias functiones hoc in morbo a norma

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

sanitatis abludere. Hinc in rerum proxime has functiones spectantium opportuno rigorosiorique regimine, nimirum in ratione victus, a qua chymificatio, chylificatio, haematosis meliores evadere possent, inde nutritio perfectior, summa curationis hujusce peculiaris cachexiae posita est. Praeterea in hac cachexia ab evolutionis haud normali processu originem trahente, deest plerumque (deeratque in nobili virgine) causa quaevis materialis, quae in aliis cachexiis praesidia pharmaceutica necessaria reddit. Hic, vitae formanti vires sufficientes ad organicam substantiam idoneam elaborandam, ut corpus augmenta pubertatis capiat, hujusque muneribus fungendis par sit, non habenti, opitulari opus est, hocque metasyncrisis lenta, instituto vivendi innixa melius praestat, quam pharmaca omnia, quae jamdudum in chlorosis tractatione, si pauca excipiatis, famam utilitatis amiserunt. Emolumenta ergo, quae ab omni curatione nobilis illa virgo assecuta est, victus strictissimae rationi, non atomis tribuenda esse concludere fas erit. Denique, ob metrorrhagiam chronicam a spasmis; male se habebat illustris matrona, viriumque digerentium tanta erat prostratio, ut in appositiam perfectam inciderit, omnemque vel minimam alimenti cujusvis quantitatem respuerit, corpus macie confectum sit, viresque in universum sint extenuatae. Me per quadrimestrem medente, melius paullatim res cesserunt, ita ut ciborum adpetitum recuperaverit, copiose manducare, optimeque digerere potuerit, corpus ad bonum habitum, et ad vires redierit, metrorrhagia primum imminuta, mox ad tempus dumtaxat recurrente, longasque intercapedines concedente. Tandem eo pervenimus, ut exiguae maculae decolores perquam raro apparuerint, adeo ut nullum superesset dubium, quin postrema haec morbi

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

pars, reliquiaeque quasi dixerim, propediem terminaturae forent. Rebus ita se habentibus, ad homoeopathiam transmeare placuit matronae, ingenueque mihi fassa est, se, cum primam atomum voraret, maculas illas tenuissimas adhuc habuerit nec ne, ignorare. Cum secundam, aut tertiam atomum sumpsisset, miraculum homoeopathicum jam perfectum erat, morbum difficilem, maxima adhibita sollicitudine, strenuisque artis praesidiis jam superatum, tres atomos sanavisse praedicabant, curationisque quadrimestris honorem, juxta morem, usurpabat homoeopathia. Ex quibus omnibus colligitur facta ab homoeopathicis excitata nulla esse, experientiasque illos minime possidere, nam casus quibus, ut experientiis, gestiunt, hoc nomine indigni sunt, cum necessarium caussam inter et effectum nexum haud contineant, et possint aliam atque aliam recipere expositionem.

Quod vero ad hominum spectat fiduciam, infirmissimum sibi adsumunt homoeopathici propugnaculum. Ita enim omni aetate, nuncque comparati a natura sunt homines, ut rebus mirabilibus conceptumque superantibus, facilius adliciantur, quam clarissimis, firmissimisque rationis et experientiae vocibus; eaque est ad immaginationis luxuriam proclivitas, ut quisquis, quae admirationem multitudinis in se movent enarraverit, eam citra negotium subigere possit. Ratione, praestantissima solius hominis praerogativa, uti, arduum facinus existimat homo; ludibriis vero phantasiae occupari, praesertim si spem desiderata quacque assequendi continent, dulcissimum et quam commodum putat. In medicina porro haec facilius eveniunt, quam in aliis humanis rebus; nam de difficillima scientia agitur, quam tamen unusquisque hominum callere aliquantulum sibi persuasum habet, principiorumque ignarus, verba

*

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

incomprehensibilia quibus novatores se jactaverunt, anxie amplectitur, fucumque sapientiae sibimetipsi faciens, novatoribus plausus impertitur. Insuper, doloris atrocitate, aegrotationis miseriis, mortis metu fit, ut aegris mortalibus magis arrideant impudentiores, ventosissimique nebulones, optatum solatium, sanationemque facilem certe et cito promittentes, quam verecundi sapientesque artifices, qui rei difficultatum conscii, nil ultra possibilitatem pollicentur, nec verbis mysteriosis, et sesquipedalibus blaterant. Ex quo factum est, ut tot emplastra, unguenta, sorbitiones, pilulaeque famam omni aetate sibi conciliaverint, totque circulatores, et praestigiatores fiduciam, prae medicis doctissimis expertissisimisque multitudini inspiraverint. Si solam-Leroyanam hypercatharticam ubique methodum in memoriam revocemus, quae nuper per Europam integram ocyor aura diffusa, effraenem generalemque adoptionem invenit, ita ut a delirio non conquieverint cujusvis generis homines, antequam innumerae drasticis venenis haud cecidissent victimae lacrymabundae, quam expedite possint agyrtae hominum credulitate potiri, imaginationique eorum imperare, facile videbimus. Et haec inter syrtes in quas quotidie impingunt medicinae cultores, fatis sic volventibus, non minima est, tyrones; nam postquam labores, difficultatesque institutionis omnes, eruditionisque exantlati fueritis, cum usus exercitiumque vobis erunt, inter alios, vobis superest herculeus labor, fidem prae circulatoribus vobis conciliandi, aegrotorum falsas praeconceptas opiniones expellendi, illorum intemperantem imaginationem compescendi, et in bonae, rectaeque curationis via, quamdiu opus est, illos retinendi.

Ex dictis omnibus colligitur, homoeopathiam in fundamentis absurdam, pathologiam caecam, erroneamque praesefe-

Digitized by UNIVERSITY OF MICHIGAN Original from UNIVERSITY OF MICHIGAN

rentem, incomprehensibilem rationique repugnantem' pharmacologiam, nullis factis, nullis experientiis confirmatis, indubitabilibusque innixam, imaginationi tantum suffultam, si fiduciam aliquorum hominum nacta sit, non ideo evadere probabiliorem.

Haec autem vobis solemnitus aperire, juvenes praestantissimi, inter mea erga vos officia existimavi. Hic enim maximus turbinum est, horizontem medicinae nostris temporibus obnubilantium. Ab illius meteoris cavetote, et vestigia clarorum in arte virorum ingredientes, scholarum vexilla vel celebratissima declinantes, bonam veramque medicam scientiam, cui experientia, et rectum rigorosumque ratiocinium lapis lydius est, cui veri studium, ingenuitasque character, quaeque bonam, utile, exploratum, uti apes, ex omnibus doctrinis colligit, quin alicui nomen det, colitote.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

CORRIGENDA.

	dinamicus	lege — dynamicus
Item :	simptoma	lege — symptoma
Item :	homoepathicus	lege — homoeopathicus
Pag. 21 vers. 27 loco —	resolutionum.	lege — resolutionem
Pag. 23 vers. 15 loco —	pillula . .	lege — pilula
Pag. 25 vers. 28 loco —	difficultamque.	lege — difficultatemque
Pag. 22 vers. 8 loco —	per exiguas .	lege — perexiguas

EX TYPIS GABRIELIS GENTILE.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 02010 1112

Filmed by Preservation 1990

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN
Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.6.15-5
C.2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.6.15-5
C.2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.6.15-5
C.2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.6.15-5
C.2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.6.15-5
C.2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.6.15-5
C.2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN

H.6.15-5
C.2.2

DOCTRINAE MEDICAE HOMOEOPATHICAE EXAMEN.

PROLUDEBAT AUDITORIBUS SUIS

EMMANUEL CANGIANO

M. D.

DIE XV. NOVEMBRIS

MDCCCXXXIII.

NEAPOLI.

Digitized by
UNIVERSITY OF MICHIGAN

Original from
UNIVERSITY OF MICHIGAN